



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1572 usque ad annum 1581

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118642

§. 64. Ordo Militaris Equitum S. Mauritii in Sabaudiaë institutus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67232)

Navarræ Regis Legatus Romam profectus est. Sæcul.XVI.
A.C.1572.

§. LXIV.

Ordo Militaris Equitum S. Mauritii in Sabaudia institutus.

Eodem hoc anno Summus Pontifex ad Emanuelis Philiberti Sabaudia Ducis preces Ordinem Equitum sancti Mauritii erexit, quam in rem diploma die decima sexta Septembris Anno post Christum natum millesimo quingentesimo septuagesimo secundo edidit: Itaque Papa præfato Duci hunc Ordinem sub sancti Mauritii invocatione instituendi facultatem concessit, eo fine, ut Equites sese opponerent hæresi, quæ in plures jamjam Provincias irrepserat, & Sabaudia fines invadere moliebatur. Die vigesima tertia proximi Mensis Novembris idem Dux aliud impetrabat diploma, vi cujus perantiquus sancti Lazari ordo cum novo hoc sancti Mauritii ordine uniretur, ea lege, ut Equites recens creati nuncuparentur Equites sancti Mauritii, & sancti Lazari, simulque Sabaudia Ducum, qui semper magni hujus militiae Magistri erunt, sumptibus ad sacram Sedem contra Infideles, hæreticos, Piratas, aliosque Ecclesie hostes defendendam duas triremes paratas tenerent: insuper Papa

*Bullar. t. 2.
Constit. 6.
§ 7
Greg. XIII.
Heliot. hist.
des ord.
monast. t. 6.
Ciacon. t. 4.
pag. 24.*

Hist. Eccles. Tom. XLIX, G Equi-

Sæcul. XVI. Equitibus Cisterciensium regulam præscripsit unacum voto paupertatis, obedientiæ, & Castitatis conjugalis, adeo, ut hi milites cum unica tantum, & ea quidem Virgine matrimonium inire valeant: denique ab eis exigebat Pontifex, ut fidei Catholicæ Professionem nuncuparent haud ab similem illi, quam Pius IV. Papa juxta Tridentini Concilii doctrinam vel ad Ecclesiæ finem recipiendis, vel ad Universitates admittendis præscripserat.

§. LXV.

Varia statuta a novo Pontifice sancita.

Porro neo-electus Pontifex in primo Patrum Senatu Cardinalibus impense commendabat, ut sacræ Inquisitionis, hujusque Tribunalis auctoritatem in sua virtute conservare studerent, totoque studio exequendis Concilii Tridentini decretis præcipue morum emendationem concernentibus invigilarent: insuper ex eodem sacro Collegio quosdam nominabat, qui jamjam inchoatum librorum prohibitorum Indicem ad exitum deducere curarent. Episcopis denique injunxit, ne illis, quos nec morum integritas, nec vitæ honestæ fama commendat, sacros Ordines conferrent, quam in rem Hispaniæ